



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Alienatio Canonica Rerum Ecclesiae Temporalium

**Wiestner, Jacob
Prielmeyer, Bernhard F.**

Ingolstadii, 1692

Proloquium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61444)

PROLOQUIUM.

QVam in Deum Religiosa, in ejus cultum, & miserorum solatium subsidiúmque prona, profusáque Fidelium Pietas olim fuerit, si ad posteritatis memoriam conscripta volumina, Saxea, aereáque monumenta non loquerentur, id equidem regali Magnificentia conspicua Basilica, erecta passim Religiosorum hominum Asceteria, obvia ubique terrarum sacra Oratoria, ac Hospitalia abundè prædicarent. Neque verò satis illis erat ista construxisse duntaxat & instruxisse: ditárunt præterea, dotarúntque adeò, ut collatis prædijs fundisque saepe amplissimis, secuturis quoque durarent ætatibus, & stabilirentur quodammodo ad perennitatem. Probâsse Majorum Religionem Pietatémque visi sunt sacri juxta ac profani Magistratus, atque ut Ecclesiarum dotes & pauperum patrimonia perpetua essent, curas suas omnibus retrò sæculis naviter intendisse, quando interposita Pactionum Fide, & Iurisjurandi adeò Religione, ad diligentiam obstringi eos voluerunt, quibus Sacrorum illorum, ac Religiosorum locorum cura & custodia unquam committeretur: néve Rerum, Fidelium munificentia collectarum, thesaurus, vel sacrilegá contrectatione, vel non satis providæ Administrationis negligentia, distractionis, aut cujuscunque jacturæ periculo exponeretur, Casus, Causasque Alienationum, & ipsam istarum Formam virtute Sanctionum Imperialium, & Ecclesiasticarum Constitutionum Auctoritate definitam examussim præscripserunt. Quamquam ne-
que

que sic etiam, & qui aliter inirentur, Contractibus damnatis, Ecclesiarum indemnitati consultum satis, cautumque existimarent. Pœnas igitur demum statuerunt, quibus, ceu debitis severissimæ animadversionis remedijs, eorum compefceretur temeritas, qui sacrum istarum peculium profanare, aut alienis applicare usibus quocunque tempore attentassent; adeò non solum Fidelium Pietas, sed Præsidium quoque in Rerum Deo dicatarum cultum & incrementum industria vigilavit. Ut igitur & Illorum Religioni, & Curæ Istorum Nos quoque aliquid contribueremus, Dissertationem hanc Nostram ad eandem metam dirigimus, & quæ Ecclesiarum Dotibus, ac Patrimonijs conservandis vendicandisque olim, hodièque salubriter sanctèque constituta sunt, sub Sacratissimi Præsulis, Pientissimi, Potentissimique Principis Serenissimis Auspicijs in lucem damus, pariter & in Argumentum Academicæ Disputationis. Canonica autem Alienationis Nomine illam appellamus; quòd Deo dicata Res, & ipsa istarum Administratio non aliunde magis quàm à temeraria & incauta distractione periclitentur: & ista, ut à dilapidationis periculo quàm remotissima sit, Ecclesiasticarum Sanctionum Regulis, si Apostolicæ Benignitatis indulgentia, vel rationabilis Consuetudo aliud non permittat, debeat esse conformis. Ceterùm propositam Dissertationem trifariam dividemus: & primâ quidem ejus parte agemus de Ecclesiarum Rebus liberè alienari prohibitis & permisis: secundâ statuemus Causas & Solemnitates Canonice Alienationis Rerum liberè distrahi prohibitarum: postremâ, quæ circa præcipuas istius species scitu necessaria aut utilia videbuntur, exequemur. Sit itaque